Jocularis excurſio! An revelatione igitur opus eſt, ut habere me aures conſtet, quibus audiam; oculos, quibus videam? Audio Eccleſiam, video, lego. Quod audiam, videam, legam, antecedunt iſta fidem, non ingrediuntur. Senſibus enim, ac ratione præditis ea imperatur, non ſtipitibus ſenſu ac ratione carentibus; neque ideo imperatur, ut ſenſum rationemque det, ſed ut nos ſenſu, ac ratione utamur. Atque hæc hactenus, quoniam compulſi ſumus. Nihil enim ferre minus poſſumus, quam in Theologia novitatem. Quæ ſuperſunt, quoniam occupata jam ſunt, poſſunt brevibus confici.

§. IX.

Proteſtantium, ex quo ſeceſſionem à nobis fecerunt, doctrina palmaris eſt, quidquid credendum nobis divinâ fide præcipitur, id in ſcripturis ſacris comprehendi. Quocirca quidquid eſt ejuſmodi, ut illius aut nulla fiat, aut non explicata ſatis in iiſdem ſcripturis mentio, id inter fidei referri capita non oportere. Multa his opponi à noſtris conſuevêre, in quibus diluendis fruſtra hactenus laboratum fuit.

Nos uno contenti ſumus, quod ſub manibus naſcitur. An perſuadebunt illi unquam nobis, ſanctum Paulum ad tot myſteria delapſum oratione fuiſſe, quin ea credi ab iis, ad quos ſcribebat, voluerit? At eſt tamen hujus Apoſtoli non ſane dilucida ſcriptio. Quocirca S. Petrus, eſſe quædam in ejus Epiſtolis intellectu difficilia, ait, quæ indocti & inſtabiles depravent. Non igitur in obſcuritate hâc ſufficiens ratio eſt, ex cenſu fidei expungendi quidquam. Deinde ut fuit ſupra à nobis oſtenſum, non ita atramento & chartæ alligata eſt doctrina chriſtiana, ut non potius vivâ voce tantum & cæpta ſit prædicari, & à plerisque Apoſtolis, à quibus aut nihil, aut perpauca commendata ſunt litteris, etiam conſtanter ſit prædicata. Quod igitur ſic iſti contendunt, fuiſſe poſtea ſaltem collata omnia in litteras, ut nihil jam credi neceſſe ſit, præterquam quod ſcriptum eſt: quo argumento conficient? Nam illis quidem hujus rei demonſtratio incumbit. Quodſi præſtare hanc nemo auſus hucusque fuerit, nemo ſuſceperit; nos contra, *teſtificationem Eccleſiæ publicam* iis opponimus, teſtificationem omnium ſæculorum: quâ illud univerſe docemur, eſſe non pauca, quæ, tametſi

metsi in scripturis involuta extent, ac dicta obscurius, semper tamen in capitibus fidei sint censa; non pauca etiam, quorum in scripturis forte ne linea quidem occurrat ulla. In hoc igitur conflictu ubi & illis argumentum deest idoneum ad demonstrandum, quod nonnisi conjectando, & hariolando hactenus sumpserunt, & nobis è contra tanta vox, & tanta cum Authoritate conjuncta pro vadimonio sit: videant sane, si æqui esse æstimatores possint, utrorumnam, suam, an catholicorum causam potiorem putent.

§. X.

Dicebamus, inter ea, quæ traditione accepimus, esse non pauca, quorum in sacris scripturis forte ne mentio quidem fiat. Atque huc sane pertinet detrita illa, & annis abhinc aliquot mirum vexata quæstio, quam nostra ætate cùm clarissimus Nellerus, ut sæpe solebat, conjecisset in medium, non paribus animis ab omnibus exceptus fuit. Quærebat autem de Traditionibus, quas *mere orales* vocant, existerentne earum ullæ, sic, ut ne disputando quidem ex scripturis, tanquam ex involucro quodam elici possent.